



Rector Academiae
Lipsiensis fest. Pente-
costes pie celebr. iunctuat

1695





1149

RECTOR

ACADEMIAE LIPSI-
ENSIS

FESTUM

PENTECOSTES

PIE

Joyyal

CELEBRANDUM

INTIMAT.



1943 K 1209



RECTOR

ACADEMIAE
ENSI

FESTUM

RECTORIBUS

PIE

OBLAQUANDUM

IN TANTUM





J. N. J. A.



Ter deliria Fanaticorum, quæ Novatorum hodiè Coryphæus in lucem denuò protraxit, non postremo in loco reponenda est DONORUM SPIRITUS SANCTI MINISTRANTIUM everfio, utpote quæ gratiæ Spiritus Sancti abjudicata, naturæ viribus passim tribuit, ministrantia simul & sanctificantiæ dona pessimè confundens. Quod quidem cum jam pridem in libello Germanico, quæm *Universalem, an communem? Theosophiam omnem fidelium Christianorum & verorum Theologorum* inscripsit, multis gravissimorum virorum testimoniis, quibus tamen & nonnulla sui similibus dictæ immiscuit, abusus ex instituto primùm traderet, non statim advertetur *επιγλον* illud, donec erumpentibus Pietistis proderetur. Hi enim fructum ad Theologos de Ecclesiâ meritissimos calumniis impetendos haud contemnendum sibi sumunt ex eâ, quam ibi suggererat, distinctione *Cosmosophorum & Theosophorum*, quos inter tantum sit discrimen, quantum inter *dona naturæ & dona SPIRITUS SANCTI* poni debeat. *Cosmosophum* ait magno saltu incedere, inque artium linguarumque scientiâ, in eloquentiâ, in habitu argutè acuteque disputandi, in variâ eruditionis apparatu superbire, atque hâc cognitione potius, quam re cognitâ delectari, gloriari de doctrinâ, de labore ac studio, quo istam sibi acquisiverit, de celebritate nominis, de hominum doctissimorum familiaritate & commercio, quod ad majorem gloriam sibi conciliandam aucupetur: qui tametsi non proletaria, sed egregia quæque in usus publicos emittat, nec scientiam tamen ejus Theologiæ, nec ipsummet Theologi nomen merere, quoniam

Die allgemeine Gottesgelehrtheit aller gläubigen Christen und rechtschaffen Theologen, Anno 1680.

part. II p. 218 seqq.



carnali tantum doctrinam imbutus, neque a Spiritu Sancto ex gratia, sed a solis hominibus edoctus, ad istam eruditionem pervenerit. *Theosophum* vero describit esse illum, qui in simplicitate & humilitate Jesu Christi ambulet, & cujus sermo non sit in persuasoriis humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus ac potentiæ, qui ad vivam agnitionem homines perducatur, eosque in Jesu Christo ædificet, doceatque, in solo hoc esse veritatem & novam creaturam, atque ejus justitiam esse veram, & in nostris operibus reperiri; qui re cognitam potius, quam cognitione delectetur, & solam Dei gloriam atque salutem proximi querat. Hunc demum in scholam Spiritus Sancti informatum inquit, & a mundo pro nihilo haberi, quippe qui uti Cosmophos solum æstimet, ita ferre Spiritum ex Deo nequeat, solos Theosophos, hoc est veros Theologos agitantem. Hæc dum excerpimus tanquam præposterè & inconditè dicta, non illud agimus, ut Studiosæ juventuti sacris literis deditæ fenestram patefaciamus ad nequitiam, neque ut persuadeamus, officio suo bene defungi Theologos, qui mundum potius, quam Deum sapiunt; absit per omnem modum! Nam cum sinceræ pietatis studium omnes omninò Christianos deceat, quantum magis decebit eos, quibus non doctrinæ modò, quæ ad salutem perducit, sed & vitæ piæ sanctæque in aliorum exemplum transigendæ, partes impositæ sunt? Damnamus omnium, qui sacra hæc tractant, conatus in pompam saltem paratos, & ad voluptatem carnalem compositos, & nec ad Dei gloriam directos, nec ad suam ac proximi ædificationem ordinatos. Ad preces insuper indefessim ad Spiritum Sanctum fundendas, ut emittat cœlitus suæ lucis radium, omnes qui theologiæ studio incumbunt & proficere cupiunt, vel maximè exhortamur, quas nisi puris manibus elevatis è renovato sanctificatoque corde profectas non exaudit. Quamquam verò sanctimoniam sic omninò exigimus; non tamen ideò scientia Theologica, quæ assistente Spiritu Sancto piis precibus multisque sudoribus ad communem ecclesiæ utilitatem comparatur, donis *sanctificantibus* annumeranda est, sed ad *administrantia* spectat, quæ idem Dei Spiritus pro arbitrio distribuit inter eos, quos in Ecclesiâ sacris muniis destinavit. Itaque nec ex adverso cognitionem rerum divinarum, & eloquentiam, & potentiam sacra dogmata

gmata vel in templis, vel in scholis utiliter tractandi & ab hæreticorum corruptelis dextrè vindicandi, & cæteras facultates, *soli nature* debent, qui in hunc ordinem lecti sunt, sed *gratia Spiritus Sancti* ad unum omnes, sive donis gaudeant sanctificantibus, sive illis suâ culpâ careant, *ad ministerium Spiritus obeundum idoneos facientis.* Alia ratio est infidelium extra ecclesiam, exempli causa Judæorum modernorum, in quibus, cum in interpretandis sacris literis versantur, naturalis intelligentiæ vis è verbis elicit significationem certam, quæ ad cognitionem literalem perducit, cum interim velamine cordibus illorum imposito, ad salutarem scientiam non pertingant; in quibus ipsis tamen Spiritus Sancti per scripturam semper operantis assistentiam ad ipsorummet conversionem non prorsus exclusam esse, rectè dicimus. De Ecclesiæ autem Ministris quibuscunque disertè id Apostolus confirmat: *Divisiones, inquit, donorum sunt; sed idem Spiritus. Et divisiones ministeriorum sunt; sed idem Dominus. Et divisiones operationum sunt; sed idem est Deus, efficiens omnia in omnibus. Unicuique verò datur manifestatio Spiritus ad id, quod expedit. Nam huic quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ: alii verò sermo scientiæ, secundum eundem Spiritum: alii verò fides, per eundem Spiritum: alii verò dona sanationum, per eundem Spiritum: alii verò efficaciæ potentiarum, alii verò prophetia, alii verò discretionum Spirituum, alii verò genera linguarum, alii verò interpretatio linguarum. Sed omnia hæc efficit unus ille & idem Spiritus, distribuens peculiariter unicuique, sicuti vult.* Et causam subesse videmus manifestam, ut quorum operâ ad hominum regenerationem, & renovationem, salvationemque Spiritus Sanctus utitur, eos etiam donis ad rem dignè expediendam necessariis instruat, si maximè cætera boni non sint; nam & horum actio unâ cum Spiritu Sancto cooperatur ad unum illud ἀποτέλεσμα producendum. Gaudebat profectò Apostolus utroque doctorum genere, tum qui per invidiam & contentionem, tum qui propensâ voluntate Christum prædicabant, quòd Dei gloriam & ecclesiæ emolumenta utrobique promoveri nosset, quando & mali illi invidiâ & inanis gloriæ cupiditate vitiiati atque corrupti, in eadem quidem domo, ut Augustinus ait, eundem panem verbi tractabant, non tamen in hereditatem æternam vocati, sed temporali mercede conducti. Ad eum sensum exan-

2. Cor. III. 6.

Ibid. v. 15.

1. Cor. XII. 4. seqq.

Phil. I. 15. 18.

Augustin. lib. II. Quæst. Ev. ang. q. XXXIII. I. IV. f. 134.



August. Conf. dienda Confessio nostra, cum *Sacramenta & Verbum propter ordina-*
fess. *Artic.* *tionem & mandatum Christi efficacia* pronunciat, *etiamsi per malos*
IIK. *exhibeantur.* Quos certè malos uti non laudat aut probat, sed
casu saltem hoc existente, nihil decedere ministerii, horum etiam re-
verendi, *efficacia* affirmat: ita & *involuntate* ad docendum, & ordinari-
am vocationem, quarum utramque Spiritui Sancto acceptam ferant,
præsupponit. Frustrà obicitur destructio templi Spiritus Sancti ab
1. Cor. III, 16, 17. impiis facta, per quam è cordibus ipsorum expellitur, ne dona confe-
rat. Nam expellitur quidem per peccata, sed gratiosè *inhabitans*, ne
dona sanctificantia sive exhibeat sive continet; at non dimovetur
assistens ad largiendum administrantia in ecclesiæ commodum. Qua-
re nec illud alterum, quod opponitur, quicquam obtinet, non esse
hæc dona salutaria, quia olim Christus iis largissimè non exornatos
Modò sed & usos reprobaturus sit. Esto enim, non salutaria esse si-
bimet ipsis, sunt tamen Ecclesiæ; imò & ipsismet illis saluberrima fieri
possunt, si emendentur, & fecerint, quod docent, sic enim & seipos
salvabunt, & auditores suos. Sed quid plura? *Donatistarum* hic
fuit error in Augustinâ Confessione damnatus, qui ut singulari qua-
dam sanctitatis specie alios omnes veluti non sanctos contemnebant,
solis sibi Ecclesiæ titulum arrogantes: ita *negabant licere uti ministerio*
malorum, idq; utpote à Spiritu Dei non dependens *inutile & inefficax*
esse sentiebant. Quorum furores superiori ævo imitati sunt *Anabapti-*
stæ, & in horum castra nunc *Pietistæ* transiverunt. Neque aliud tanto
conatu studioq; invocatus Reformator, procella ecclesiæ, turbo & tem-
pestas pacis agit, quam ut Theologos verborum contumeliis laceratos
simplicioribus detractâ opinione probitatis invisos suspectosq; efficiat,
atque sua vigilantis somnia de seculo, quod sperari vult, aureo diven-
dat, facilius & proclivius fidem sibi conciliaturus, si intelligant, cæ-
teros omnes in Academiis pariter & ecclesiis Cosmofophos, carnâ-
les, à solis hominibus edoctos, & Spiritu Sancto destitutos, se verò
ac suos, cum quibus deorum & hominum sanctitates omnes & reli-
giones adsint, cœlesti luce collustratos esse. Eo igitur fortiori ani-
mo contendendum nobis, ne in fraudem & fallacias nostri deducan-
tur, quos antiquissimi Scriptoris, Vincentii Lerinensis, cuius media
ætas in extremam Augustini incidit, malumus quam nostris commo-
nere.

Matth. VII, 23.
23.

1. Tim. IV, 16.

Aug. Conf.
I, c.



nere. Is posteaquam ex epistola, quæ tunc ad Africam missa est, Vincent. Le-
cùm Agrippinus Carthaginensis Episcopus, primus omnium morta-
rium contra divinum canonem, contra universalis Ecclesiæ regulam, rinenf. in Com-
contra sensum omnium confacerdotum, contra morem atque institu-
tuta majorum, rebaptizandum esse censeret, illud à Stephano Roma-
no Episcopo sancitum: *NIHIL INNOVANDUM*, adduxisset: Intelli-
gebat, inquit, vir sanctus & prudens, nihil aliud rationem pietatis ad-
mittere, nisi ut omnia, quæ fide à patribus suscepta forent, eadem fide
filiis consignarentur; nosq; religionem, non quæ vellemus ducere, sed potius
quæ illa duceret sequi oportere; idq; esse proprium Christiana modestia
& gravitatis, non sua posteris tradere, sed à Majoribus accepta servare.
Post plura monita, ut caveamus, ne, quia Deus nos tentet, si excellen-
tes quasdam personas in Ecclesiâ constitutas res novas permittat Ca-
tholicis annuntiare, cupiditatem nobis injiciat novitas, ista subjungit:
Et profectò magna tentatio est, cum ille, quem tu prophetam, quem pro-
phetarum discipulum, quem doctorem & adfertorem veritatis putes,
quem summâ veneratione & amore complexus sis, is subito latenter
noxios subinducat errores, quos nec citò deprehendere valeas, dum an-
tiqui magisterii ducis præjudicio; nec faciliè damnare fas ducas, dum
Magistri veteris præpediris affectu. Exemplo rem declarat primò Ne-
storu, deinde Photini, denique Apollinaris, famosissimorum hæretico-
rum. Et de Nestorio quidem, in quo plus semper admirationis quàm
utilitatis, plus fama quàm experientie fuerit, quemq; opinione vulgi ali-
quandiu magnum humana magis fecerit gratia quàm divina, quærit:
Qualem fuisse nuper tentationem putamus, cum infelix ille Nestorius,
subitò ex ove conversus in lupum, gregem Christi lacerare cœpisset, cum
eum hi ipsi, qui rodebantur, ex magna adhuc parte ovem crederent, ideo-
que morsibus ejus magis paterent? Nam quis eum facile aberrare arbitra-
retur, quem tanto imperii judicio electum, tanto Sacerdotum studio pro-
secutum videret, qui cum magno sanctorum amore, summo populi favo-
re celebraretur, quotidie divina palam tractabat eloquia, & noxios quos-
que Judeorum & Gentilium confutabat errores? Quo tandem iste mo-
do non curvis fidem faceret, se recta docere, recta predicare, recta sentire;
qui ut uni hæresi sue aditum patefaceret, cunctarum hæresium blasphemias

monitorio pag
284.

pag. 290.

Ibid.

pag. 291.

Act. XX. 28.

mias infectabatur? De Photino autem Ecclesiam Sirmitanam tentante, non usitatum modò hoc observat, quod creditam sibi plebem Dei precipitaret in errores, quos antea nesciebat, sed & perniciosum illud, quòd ad tantum nefas non mediocribus adminiculis uteretur. Addit tamen, quod imitari debeamus: Sed bene, quòd commissæ ipsi oves Christi multum pro catholicâ fide vigilantes & caute, pastoris sui licet admirarentur eloquentiam, tentationem tamen non ignorarunt. Nam quem antea quasi arietem gregis sequebantur, eundem deinceps veluti lupum fugere cœperunt. Tandem de Apollinari: Longum est, inquit, universa ipsius opera commemorare; quibus profecto summis adificatoribus ecclesiæ par esse potuisset, nisi profana illa hæreticæ curiositatis libidine novum nescio quid adinvenisset, quo & cunctos labores suos velut cujusdam lepræ admixtione fœdaret, & committeret, ut doctrina ejus non tam edificatio, quàm tentatio potius ecclesiastica diceretur. Hactenus Lerinensis in Commonitorio adversus novitates hæreticorum, quod ante mille & trecentos circiter annos de sui temporis novatoribus scripsit. Nos ea nobis dicta putabimus, & dum Ecclesia Pentecosten in honorem Spiritus Sancti jam celebrat, more etiam nostro religionis pietate defungemur, atque inprimis venerabimur Spiritum Sanctum, ut quos ad regendam ecclesiam Dei, sanguine proprio acquisitam, Episcopos posuit utrisque donis exornatos, hos porro ne destituat, sed ipsos pariter ac nos omnes eorum ministerio in viâ veritatis ad æternam gloriam deducat. Animos ad devotionem excitabit atque inflammabit Oratio prorsus aureola, quam *Nobilissimus Doctissimusq; Juvenis*, DN. M. GODOFREDUS CHRISTIANUS ALBERTI, *Lipsiensis*, Magni Patris, Theologi quippe & Philosophi summi, deq; Ecclesia ac studiosâ juventute immortaliter meriti Collegæ nostri, patris spei filius, cui donorum sanctificantium & ministrantium incrementa sincere precamur, ex umbone templi Academici de *Missione Spiritus Sancti* habebit in solennissimâ panegyri consveto tempore instituendâ. In quâ quidem & Utriusque R. publicæ Proceres, & Cives nostros frequenter adfuturos confidimus. P. P. Lipsiæ, in Pentecostes Vigilis, A. R. S. MDCXCV.

LIPSIÆ,
Literis CHRISTIANI SCHOLVINII.

1077



Pom. Vc 6907

OK

ULB Halle

3

004 950 348



Paul Dietrich
Buchdruck
Halle-S., Fleischerstr. 23





RECTO
ACADEMIAE I
ENSIS
FESTUM
PENTECOS
PIE
CELEBRAND
INTIMAT.



1943 K

